

bus singuli compellantur, ut infra) cum variis pro ejus, qui vocatur, dignitate titulis. Hic singulos invitandi mos est. Ipso die convivii similem libellum matutinis horis mittunt ad singulos; sed in eo solum rogantur, uti festinent, & præstituto tempore adesse ne graventur. Sub horam denique convivii tertium mittunt, quem ideo semittere aiunt, ut venientes ex itinere excipiat.

Cum in convivii domum ventum est, solitis salutationum ritibus, ut supra, expletis, in prima aula confident, & suum illud *Cia* bibunt: inde ad convivii locum itur. Solet is splendide adornari, non peristromatis, quorum apud eos nullus est usus, sed picturis, floribus, vasis, & hujusmodi antiqua suppellectile. Singulis sua mensa assignatur cubitos aliquot longa lataque, sed fere longior; nonnunquam etiam uni duæ mensæ assignantur, altera